

haec tibi fabellas referat positaque lucerna  
deducat plena stamina longa colu,  
at circa gravibus pensis adfixa puella  
paulatim somno fessa remittat opus.  
tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,  
sed videar caelo missus adesse tibi.  
tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,  
obvia nudato, Delia, curre pede.  
hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem  
luciferum roseis candida portet equis.

Liber primus, 4

‘Sic umbrosa tibi contingent tecta, Priape,  
ne capiti soles, ne noceantque nives:  
quae tua formosos cepit sollertia? certe  
non tibi barba nitet, non tibi culta coma est,  
nudus et hibernae producis frigora brumae,  
nudus et aestivi tempora sicca Canis’  
sic ego; tum Bacchi respondit rustica proles  
armatus curva sic mihi falce deus:  
‘o fuge te tenerae puerorum credere turbae,  
nam causam iusti semper amoris habent.  
hic placet, angustis quod equom compescit habenis,  
hic placidam niveo pectore pellit aquam,  
hic, quia fortis adest audacia, cepit; at illi  
virgineus teneras stat pudor ante genas.  
sed ne te capiant, primo si forte negabit,  
taedia: paulatim sub iuga colla dabit.  
longa dies homini docuit parere leones,  
longa dies molli saxa peredit aqua;  
annus in apricis maturat collibus uvas,  
annus agit certa lucida signa vice.